

EPITAPHIUM
GERARDI MERCATORIS. TEUTOBUR-
GI. CLIVENSIVM. OPIDO. SEPULTI.
DEO. OPT. MAX. SACRVM.

GERARDO. MERCATORI. FLANDRO. RVPPELMVN-
DANO. IVLIACENSIVM. PROVINCIA. ORIVN-
DO. DOMESTICO. CAROLI. QVINCTI.
ROM. IMP.

ET. GVILIELMI. P. AC. IOANNISGVILIELMI. F. IVLIA-
CENSIVM. CLIVENSIVM. &c. DVCVM.
COSMOGRAPHO.

MATHEMATICORVM. SVI. TEMPORIS. FACILE. PRINCIPI. QVI.
GLOBIS. ARTIFICIOSIS. RADIO. DIMENSIS. CÆLVM.
AC. TERRAM. INTERIVS. ET. EXTERIVS. QVA.
LICVIT. DEMONSTRAVIT. A. VARIA.
DOCTRINA. LAVDATO.

VIRTUTE. QVOD. CAPVT. EST. ET. INTEGRITATE. VITÆ.
ET. OMNI. MORVM. COMITATE. CLARO. HEREDES. PA-
TRI. BENEMERENTI. DOLENTES. ET. ERVDITORVM.
STVDIOSA. COHORS. AMICO. PO-
SVERVNT.

EDITVS. IN. LVCEM. FVIT. III. NONAS.
MARTII. H. VI. A. M. ∞ D. XII.

EXCESSIT. E. VIVIS. IV. NONAS. DECEMB.
H. XI. A. M. ∞ D. XCIV.



QVIS. FVERIM. QVERIS. TERRAM. CÆLO. AVSPICE. TOTAM.
DISPEXI. SVPERIS. INFERA. CONCILIANS.
PER. ME. COLLVCENT. IN. CHARTIS. SIDERA. CÆLI.
INDIA. ET. ANTIPODES. VELIVOLVMQ. MARE.
TOTIVS. ET. MVNDI. DIGESSI. TEMPORA. FASTIS.
ORBIS. VT. IMMENSI. CLAREAT. HISTORIA.
CETERA. QVÆ. CVDI. SI. POSTVMA. LEGERIT. ÆTAS.
PRODESSE. ILLA. SIBI. ME. VOLVISSE. SCIET.
IAM. CORAM. VT. VIDEAM. CÆLO. TERRAQ. TONANTEM.
LVCIDA. CONSCENDI. SIDERA. TERRA. VALE.
O. TE. FELLICEM. CHRISTO. QVI. VIXERIS. VNI.
VT. CVM. QVO. VIXTI. VIVERE. CVM. HOC. LICEAT.

OS. HOMINI. SVBLIME. DEDIT.

Io. Metellus I. C

Aliud.

*Qui quantum patet vniversus Orbis,
Et quicquid fuit vniverso in Orbe,
Tum rerum atque Hominum vices per Orbem,
nec non quas habeat Polus figuras,
qua natura sit Et rigor Planetis,
solerte ingenio, labore, amussi,
est dimensus Et assecutus, ille
tot possessor opumque merciumque
MERCATOR modica tenetur urna.
Sed cur Marmore non renidet, atque
saxis stuctilibus locus resulget?
Non fama lapides sua putauit
custodes: fore sed libros Virorum
doctorum in manibus, quousque stabit
fixus mole sua vniversus Orbis,
Et quantum patet vniversus orbis,
longè post lapides Et Aes Et Aurum.
At MENS vltius profecta Cali
Rectorem, studio fidelis acri
Cognouit coluitque semper. Hinc Et
nunc in deliciis agit DEIQUE
conspectu fruitur perenne, Et vltra
quam Mundi manet vniversus Orbis.*

Lambertus Lithocomus,
L. L. studiosus.